

23. 013
DISSERTATIUNCULA

De

MOTU TERRÆ ET ECLIPSI
SOLIS CIRCA PASSIONEM CHRIS-
TI, NUMQVOD DE IIS GENTILIUM
SCRIPTORIBUS INNOTUERIT?

Quâ

PLURIMUM VENERABILES

D^{NN.} INSPECTORES,
VIROS ITEM OMNES
OMNIUM ORDINUM

HONORATISSIMOS,

M. JOH. FRIDERICUS *Göber*
Illustris Ruthenei Rector,

AD BENEVOLE AUSCULTANDUM

QUATUOR ORATIUNCULAS,

De

PASSIONE CHRISTI

publicè habendas,

Submissè, officiosissimè, humanissimè

INVITAT

GERÆ, STANNO MÜLLERIANO.



Z Literæ inter lingvæ Latialis elementa postremæ in tantum infensus fuisse Appius Claudius Martiano Capellæ commemoratur, (a) ut ab illius pronunciatione penitus planè abhorruerit, cohibueritq; oculos pariter & lingvam: idq; ea de causâ, quod litera isthac exilem morientium vitaq; jam discedentium sibilum exprimere & imitaretur. Quò hunc fuisse animo putemus in ipsam mortem, qui tantò reformidavit opere, quod recordationem mortis potuit menti refricare?

Usque ad cõne mori miserum est?

ait Turnus apud principem Poëtam, divinæ Æneidos conditorem. (b) Nimirum *ab interitu natura abhorret; & quis est, aut quotus quisque, cui, mors cum appropinquat,*

Non refugiat timido sanguen, atq; exalbescat metu? (c) Et ita quidem per naturam fit, & quamdiu mens in gentilium errorum tenebris versatur, ignara, quid certò post obitum de se futurum sit. Verùm longè alia Christianorum mens est, alia fides, spes multò alia. Certi quippe sunt, mortem suam non finem esse aut interitum, sed secessum quendam & abitum jucundum, somnumq; placidum, quò fiat, ut dolores & ærumas seculi cum felicitate cœlesti & gaudiis æternaturis, Dei gratiâ, commutent. Id verò omne acceptum ferunt non sibi, non rationi corruptæ, non meritis suis, sed morti salutiferæ, quam pro universò mundò in crucis ligno obiit optimus Sospitator. Hæc mors vita nostra est, hic obitus noster cluet ad cœlum abitus. Et de morte illa Redemptoris unici nunc omnes in Ecclesia suggestus personant, & pulpita loquuntur. Quocirca filere de eadem exedras in Scholis nequaquam par est, cum filias æmulari matrem omninò deceat. Igitur dum Agona iudicare de nonnullis dictu juxta & cogitatu horrendis, quæ subiit patientissimus So.

55

Soter, oportet: nōn alienum à re videmur facturi, si de motu terræ, Solisq; obscuratione, quæ cum omnium stupore tunc contigerunt, nonnihil faciam verborum, indagemq; simul, numquid de utroque in gentiliū scriptis occurrat & legatur? Atque ut prius de motu terræ vehementissimo dicamus, quō quasi ad *συμπάθειαν* commota fuit magna illa nostrū omnium mater, patiente indigna quævis conditore suo; de eō sic loquitur Evangelistarum primas: (d) *καὶ ἡ γῆ ἐσεισθη, & terra mota est.* Nihil ejus vel hic addit ultra, & planè reticent, qui reliqui sunt, Scriptores sacri. Nobis fidei rei, quam vel unicus tradidit *ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμεν* vir, indubitare nefas est, ideoq; ampliandum de illâ nequam existimamus. De eo verò non possumus non movere quaestionem; urum de hoc horrendo terræ motu gentilibus quidquam innotuerit, nec ne? Origenis, ex Patrum censu non indoctissimi, sententiâ si standum foret, negativa esset arripienda. Arbitratur enim, non nisi in Judæa eundem contigisse. Quæ opinio si vera esset; vix concussisse alias extra Judæam terras dici posset: unde non facile in aliorum pervenire res illa notitiam potuisset, nisi quatenus rumore evanido fuisset alibi dilata & disseminata. Verba ejus hæc sunt: (e) *Quæ autem dico, in Jerusalem hæc facta sunt, quòd velum templi scissum est, quòd terra contremuit, quòd petra dirupta sunt, quòd monumenta aperta sunt: nec enim extra Judæam petra dirupta sunt, aut monumenta aperta sunt alia, nisi ea tantum, quæ in Jerusalem erant, aut fortè in terra Judæa: nec alia terra tremuit tunc, nisi terra Jerusalem.* Ex sententiâ ergò Adamantii terræ motus ille extra Palestinam, Judæis habitatam, quærendus ne utiqvam est. Quod ne frustra adferuisse videatur, etiam rationem addit, & quidem hanc: *nec enim refertur aticubi, quòd omne elementum terra tremuerit in tempore illo, ut sentiens verbi gratiâ, & qui in Æthiopiâ erant, & in Indiâ, & in Scythiâ. Quod si factum fuisset, sine dubio inveniretur in historiis aliquibus eorum, qui in chronicis scripserunt nova aliqua facta.* Et argumentatur adeò à silentio Chronologorum, ut infitias ire rem totam queat. Verum quis paullò cordatiorum est, qui nesciat, non sufficere ad negationem facti, historiarum silentium de rebus præcipuè in Æthiopia, India & Scythiâ gestis? Nam ubi sunt gentium harum historix? Et quis est Historicorum, qui omnes terræ motus & alia, quæ interdum usu veniunt, tam religiose annotet, ut non multa prætereant & silentio involvat? Neq; verò prudentis est

Scripto-

Scriptoris historiarum, omnium, quæ fiunt, facere mentionem. (f) Origenis sententiam amplexus quoque; Desiderius Erasmus est, (g) magni Vir nominis, Varro verè sui seculi & Cicero Germaniæ; ut encomio eum tractat Jovius. (h) Verùm Origenes alibi sentire videtur aliter, cum disputat contra Celsum, Epicuri de grege Philosophum, ac nominis Christiani hostem acerrimum. (i) Et Jacobus Spigelius, etsi in sua in Prudentii hymnum de miraculis Christi interpretatione, cum Origenes juxta & Erasmo fecisse visus est, deinde tamen, mutata sententiâ, dissentit, (k) ac terræ hunc motum, de quo sermo in præsentiarum est, etiam alibi locorum multas civitates gravi ruinarum labe concussisse, non illubens fatetur. Cujus quidem gratia Picum nescio quem adducit, qui cecinerit, quod duodecim urbes in Asiâ motu illo conciderint: cui & Plinium & Senecam addit suffragantes. Quod igitur ad Plinium, ejus testimonium tale est: (l) *maximus terra memoria mortalium extitit motus; Tiberii Cesaris principatu, XII. urbibus Asia unâ nocte prostratis.* L. Annæi Senecæ autem verba ita habent: (m) *Asia duodecim urbes simul perdidit.* Adeo horum sensus invicem congruunt, nec dubium videtur esse, quin de eodem terræ motu uterque loquatur. An verò ad hunc, quem Matthæus nobis descripsit, & quo Conditori suo, terra, obitu ejus commota, gemitu quasi quodam ingenti, qui lugentium mos est, parentavit, respexerint gravissimi Autores; de eo nunc porro dispiciendum venit. Affirmat Simon Majolus, Episcopus Vulturariensis; (n) & ea quidem ex ratione, quia, *non sit alius Terra motus à Plinio traditus, quam hic, qui incidit in XLIX. annum Tiberii:* hoc autem tempore Christum in cruce obiisse. Verùm purpuratus Pater Cæsar Baronius alium longè arbitratur esse terræ motum, cujus Plinius cum Seneca mentionem facit, alium, qui tempore suffixi in cruce Christi contigit. (o) Illum quoque; Svetonio, (p) & Dionem (q) memoratum putat: hunc verò ab illo diversum & eodem repetitum anno auguratur; qui *etsi Asiam non concusserit, in aliis tamen orbis regionibus sui magnitudine prodigiosus fuerit.* Et hoc neminem putat negare Cardinalis. Sed quid opus est fingere talia, ubi non est testator apud Scriptores vetustos eosque; fide dignos rei memoria? Sanè nec apud Svetonium, nec Dionem alius commemoratur terræ motus, quam unus. Quod si verum est, & hic Plinianus ille, quem antè diximus, erit, & quem Tiberii ætate accidisse, sacer Historicus docet.

617
cet. Idem Cardinalis quod hinc concessit parè & quasi compressa manu,
id deinde largitur toto, quod ajunt, sacco. Nam, ut porrò narrat, (s)
non Hierosolymis tantum, sed & in plerisque aliis orbis terrarum partibus scissos
montes eodem terræ motu, (illud verò peculiare fuisse miraculum, neq; na-
tum ex vi motûs terræ, scitum est Sebastiani Barradii (r)) incole firmæ
traditione testantur, nempe in Hetruriâ montem Alvernia dictum, & propè litus
Campanum Cajetæ promontorium. Traditione nititur magnus Annalium
conditor, ficulneo planè, etiam in historiis, fundamento, quod vix po-
test esse firmum satis & fide dignum. (u) Nolo hinc ex Baronio affer-
re, quod ex Evangelio Nazaræorum, per Hieronymum in Latinum
translato, ait, eodem terræ motu Templi superiiminare collapsum esse,
voce ab Angelis, Templo præsentibus, prolata: *transeamus ex his sedi-
bus.* Nihil enim faciunt hæc ad institutum nostrum, & aliâ fors discu-
tientur occasione. Neq; de eo dicam, an hoc terræ motu sepulchrorum
monumenta sint aperta, unde prodierint corpora sanctorum, Hierosoly-
mis deinde conspecta. Hoc enim nec causam nostram juvat, & videtur
resurrectio illa facta die Solis, quò è tenebris iterum emerfit Sol maximus
justitiæ Christus. (x) Itaq; in subsidium tandem quoq; vocandus est
Autor non sanè proletarius, Phlegon Trallianus. Hic præter defectio-
nem Solis & meminit motûs terræ, quò in Bithyniâ Nicææ urbis multas edes
subversas commemorat. (y) Id quod cum factum sit quarto anno O-
lympiadis CCII; vix dubitare licet, quin idem planè is sit terræ motus,
quem sacra nobis historia enarrat. Etenim is annus est Tiberiani impe-
rii decimus octavus, qui & Sospitatori meritissimo emortualis fuit. Ne-
que verò est, quod cum Vossio, eruditissimo viro, (z) quis excipiat,
Phlegontem, cum in Bithyniâ quidem contigisse terræ isthunc motum
dicat, de motu autem in Palæstina fileat, vix sufficiens pro nostrâ senten-
tiâ testimonium perhibere. Verùm huic respondemus cum doctissimo
Huetio: (aa) nempe singulas regiones motu hinc concussas percensere non institue-
rat Phlegon; sed eam notare satis habuit, quâ vehementer afflictam, ac præ mul-
ti percussam esse seiverat. Quin imò nobis nunc sufficit, quod & Phle-
gontis ille & Matthæi terræ motus in idem omnino tempus incidant: ex
quò vero perquam simile hoc emergit, quod motus terræ ingens ac hor-
rendus, qui parentale quasi sacrum morienti Servatori optimo instituit,
non Palæstinam dumtaxat, sed & Asiam, in quâ sita fuit Nicæa Bithyniæ,
con-

concuſſit ac turbavit. Proſtravit utiqve, ſi fides habenda eſt Nicephoro; (bb) urbes in Aſia minori quatuordecim, inter quas primatum tenet Ephesus: Auguſtino autem (cc) & Bedæ Natali (dd) undecim dicuntur illo motu periſſe. Unde & porro ſequitur ex facili, etiam alibi locorum & inter gentiles iſtius quandam notitiam fuiſſe: Id quod probandum nobis in præſenti fuit. Nunc, cum id chartæ patiatur ſpatium, ſpicilegiô quaſi quodam factô, de eclipsi Solis, quâ. patiente orbis Redemptore, mergebatur cælum, & fœdiſſimâ involvebatur nocte, ipſo die adultô, nonnulla addere prolubiû eſt. Eſſi enim de hâc peculiari diſſertatione expoſitum eſt aliàs; (ee) ecquis tamen neſcit, diem doceri à die, nec in tanta rerum varietate omnia explicari una vice ſufficienter poſſe? Igitur, quæ tunc ex Apologetico Tertulliani, ex Luciano Antiocheno martyre, ex Thallo, inprimis verò ex laudatiſſimo Phlegonte adduximus, nolimus hunc repetere. Obſervatione tamen non indigniſſimum eſt, quod ex Sinenſi Historia Hadriani Greſſonii ſcribit diligentiſſimus Huetius; (ff) *annotaſſe videlicet Sinas in rerum ſuarum monumentis, ad id tempus, in quod annum ætatis Chriſti XXXII nos Chriſtiani conſerimus, circa menſem Aprilem, Solare deliquium præter ordinem nature & leges curriculum Aſtrorum præfixas contigiſſe: eaque rei novitate Quamvntium Imperatorem Sinarum vehementer fuiſſe commotum.* Quæ ſi ita verè facta ſunt; ecquis dubitabit magnopere, tenebras tunc obortas tranſiſſe per univerſam terram, quod Matthæus aſſerit, (gg) & ſuper totam terram, quod Marcus (hh) cum Luca (ii) ait? Nam horum ſanctior nobis eſt auctõritas, quam vel omnium Scriptorum ſilentium, vel doctiſſimorum quamvis hominum contradicctio. De cætero non nihil adhuc videtur monendum de varia lectiõne, quam Origenes in textu Lucæ perhibet occuſſiſſe. (kk) Vulgò nimirum ita legitur: καὶ σκότῃ ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν, ἕως ὥρας ἐννάτης, καὶ ἐσκοτίθη ὁ ἥλιος, & tenebrae factæ ſunt ſuper omnem terram usq; ad horam nonam, & obſcuratus eſt Sol. Pro quibus idem nonnulla ita habere dicit exemplaria: καὶ σκότῃ ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν, ἕως ὥρας ἐννάτης, ἐκλείποντῃ ἡλίῳ: & tenebrae factæ ſunt in univerſam terram, usque in horam IX. deficiente Sole. Et quoniam non ex defectiõne Solis, ſed concurſu denſiſſimarum nubium tenebras illas obortas credit Origenes; ideò & ultima hæc verba ſuppoſita putat ab Hæreticis, ad depravationem ſententiæ, ut reprehensionibus obnoxia eſſent Evangelia.

Ve-

Verum nos accedimus ad opinionem sæpius laudati Huetii, qui ita scribit: (ll) *utcumq; scripserit Lucas, eadem exurget sententia, ab omni reprehensione tuta.* Addimus etiam, si posterior lectio genuina foret, rem tanto magis de vera, quamvis supernaturali, eclipsi certam esse. Quamvis enim ἐκλείπειν dicatur Sol, quocumq; tandem modò deficiat, quod ex Herodoto (mm) ostendit Huetius: majus tamen fuerit miraculum, si ἐκλείποντος, quam σκοπιθέντος ἡλίου factum fuisset. Hoc quippe nubium opacarum complurium interjectu, illud non nisi luminis defectu fieri potest. Neq; verò est, quod sive Origenes sive quis alius (nn) dicat, non nominari Solem in hoc loco apud Evangelistas, & Christianos, si urgeant magnitudinem miraculi, ludibrium debere *sapientibus seculi, & magis adeò in his operari infidelitatem, quam fidem.* Nam prius illud planè falsum est; ut Lucæ locus, quocumq; legatur modò ostendit: posterius autem tanti non est momenti, ut propter id veritatem deseramus, aut timidiusculè propugnemus. Aliàs enim, quidquid mysteriorum occurrit in divinis oraculis, aut miraculi vel speciem habet, eliminandum foret aut reticendum. Sic nimirum ἐμώρανεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου: sic infatuavit Deus sapientiam hujus mundi. Sed hæc hæctenus. Nunc ad eos dirigendus est calamus, quorum in gratiam nobis hæc suscepta scriptio fuit. Nimirum nunc iterum per singularem Dei clementiam, & sanè quidem ac sospites, vivimus illo tempore, quò Dominum ac Servatorem mundi atrocissimis illisum contumeliis & acerbissimis cruciatibus lancinatum, quia ignominiosissimo mortis genere ab impiorum furore, nostræ salutis causa, interfectum recordamur. Cum itaq; servire temporì, ejusq; sanctitati vitam & verba accommodare, non solum prudentis sed & pii sit: hinc factum est, ut ex Discipulorum cœtu DUO ADOLESCENTES NOBILISSIMI, nec non DUO alii HONESTISSIMI BONARUM LITERARUM STUDIOSI, facere verba constituerint de argumentis, quæ occasio præsens suppeditat à se & suggerit Christum amantibus, & sincerâ colentibus fide. Igitur I. Gottlob AUGUSTUS à Reibold / EQ. VAR. *de angore, quem in horto sensit Sospitator, exquisitissimo, dissertabit.* II. CENTURIUS à Miltitz / EQ. MISNICUS *Christi considerabit vincula, quibus indignissimè constrictus fuit.* III. HEINRICUS SIGISMUNDUS Marquart / SCHLEI-ZA-VAR. *accusationem & condemnationem injustissimam expendet.* IV. tan-

tandem JOH. JACOBUS Müller / SAXOGRUNA-VAR. *Christum*
 contemplantur *crucifixum*. Hi igitur cum crastina luce, quam felicem
 DEUS illucescere sinat, post sacra meridiana publica, in cathedra sistendi
 sint; nihil nunc restat, quam ut benevolam ipsis audientiam & æqua-
 nimitatem exorem. Quare à VOBIS, PLURIMUM VENERANDI
 ET AMPLISSIMI DNN. INSPECTORES, à VOBIS item, VIRI
 OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI, peto submissè, con-
 tendo enixè, ut, sepositis paulisper gravioribus negotiis, diverti ad a-
 mœniorem hunc Musarum secessum, & nonnihil temporis infumere
 Passionis Christi contemplationi haud gravatim velit. Dabitis ita
 crescendi copiam quod Comicus ait, & stimulos addetis quibusvis, non
 malè ingeniatis, ut in palæstra eloquentiæ se diligenter exercent. No-
 lite verò dubitare, quin tantam in Musas benevolentiam omni observan-
 tiâ, studio, amore sedulò compensaturi simus. P.P. Geræ d. XXVII.
 Martii A.O.R. ∞ Idc LXXXIII.

NOTULARUM EVOLUTIO.

- (a) *Vid. Lex. univ. Job. Jac. Hoffmanni tom. II. f. 588* (b) *Æn. XII.*
v. 646. (c) *Cic. l. 5. de finib. p. m. 148. B. ed. Gotfr.* (d) *Matth. XXVII. 51.*
 (e) *tractatu 35. in Matth. cit. S. Senensi in Bibl. Sancta l. 4. p. m. 601.* (f) *vid.*
Voss. de arte Hist. p. 64. sqq. & Schook. de fab. Hamel. c. XVII. (g) *vid. Jac.*
Spigeli Interp. in bymn. Prud. p. 263. ed. Weizii. (h) *in Elog. p. 113.* (i) *lib.*
2. p. 82 & 98. (k) *l. c. p. 267.* (l) *lib. II. Hist. nat. c. 84.* (m) *lib. VI. Nat.*
qvæst. c. 1. (n) *in Dieb. Canicul. colloq. 1. quod est de Meteoris p. 44.* (o)
Ad ann. Christi XXXIV. n. 128. (p) *in Tiber. c. 48.* (q) *l. 57. p. 611. ed. Jo.*
Leuncl. (r) *vid. uterq. ll. cc.* (s) *l. c. f. 206.* (t) *tom. IV. Comment. in*
Conoord. Evang. f. 320. (u) *vid. Mart. Schook. l. c. c. XV. p. 130. seqq.* (x)
vid. Er. Schmid. not. in N. T. f. 370. & alii. (y) *libro Olympiadum seu*
chronicorum XIII. vid. Euseb. in chron. anno Christi 33. (z) *in Harm. E-*
vang. l. II. c. 10. (aa) *in Demonstr. Evang. p. 45.* (bb) *lib. I. c. 17.* (cc) *l. de*
mirabil. div. Script. (dd) *apud Sixt. Senens l. c.* (ee) *d. IIX. Eid. Maji,*
Anno 1677. (ff) *l. c. p. 43.* (gg) *XXVII, 45.* (hh) *XV, 33.* (ii) *XXIII,*
44. (kk) *in Matth.* (ll) *l. c. p. 44.* (mm) *lib. VII,*
 (nn) *v. Spigel. l. c. p. 263.*

Th: 780

ULB Halle
002 500 698

3




Sb.

VD 17

W. C.







D
Q

quod candor
culo usque
aceat tibi: te
pera quæque
ÆSES.

23

